DE STRUMA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XIII. MENS. IUNII ANNO MDCCCLXII
HORA XII
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ADAMUS MUELLER
SAXOBORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
E. THUEMMEL, DR. MED.
F. CHOMSE, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,
TYPIS ORPHANOTROPHEI.

FRATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

FRATERNO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

DE STRUMA.

Nullum fere totius corporis humani organon ab antiquissima aetate medicorum animos vehementius tenuit, quam glandula thyreoidea. Neque tamen negari potest, ad perfectam huius organi cognitionem multum adhuc superesse. Quamquam enim eius structuram morbosasque commutationes satis intelleximus, causas tamen commutationum atque id, quod gravissimum est, functionem ipsius glandulae thyreoideae nondum novimus. Quae quum ita sint, non possumus non profiteri, glandulam thyreoideam usque dum nobis esse mysterium. Iam sunt, qui se illius organi functionem invenisse dicant; sed si cogitamus, quatenus sententiae virorum doctissimorum de hac re discrepent, non dubium esse videtur, quin eius cognitione nondum gaudere possimus. Nonnulli dicunt, glandulam thyreoideam in periodo foetali loco pulmonis, quae tum temporis activitate careat, operari et vim habere ad desoxygenandum sanguinem et ad evitandam hyperoxygenationem, alii, ad praeparationem sanguinis, alii, vim habere dynamicam ad laryngem et vasculosis ipsius

retibus relationem habere ad nervum vagum, qui in oculo inter chorioideam et retinam est. Meckel, praeclarissimus ille vir, dixit, glandulam multis vasis lymphaticis arteriisque gravibus instructam esse et venas ante coniunctionem cum venis subclaviis ad formandam venam cavam superiorem se in eam effundere et ita magnam arteriosi sanguinis copiam brevi via in venosum commutare.

Quamquam novimus, glandulam thyreoideam saepius morbosis commutationibus subiectam esse, tamen vim sympathicam non possumus nominare, quam morbi huius organi in aliquam functionem habent, nisi vim mechanicam illam, quam loco suo in respirationem ac deglutitionem exserunt. Si vero morbi alterius organi functiones alterius non perturbant, nec ullo modo sanitatem corporis in peius mutant, neque morbis earum partium, quarum functio nota est, oriuntur; morbosae huius organi commutationes eam lucem functionibus ipsius afferre non possunt, quam pathologia et anatomia pathologica plerumque affert. — Quum struma mox celerius, mox lentius cresceret, conclusio inde facta est, lunam in eam vim exserere. Quae quidem sententia minus probari videtur, quam haec, reditum abitumque menstruationis feminarum cum struma cohaerere. Sunt etiam, qui dicant, hieme strumam accrescere, aestate decrescere, et tribuunt ita vim quandam temporibus anni.

Est glandula thyreoidea in femineo adulto sexu maior, quam in masculo, maxima autem in foetu. Anatomiae periti eam dividunt in duas partes, cornua, quae in medio in unum coeunt. A media parte sursum adscendit ad inferiorem cartilaginis thyreoideae partem cornu tertium, cui

nomen Isthmus est. Structura glandulae thyreoideae ei glandularum conglomeratarum maximeque prima vitae aetate similis est. Num ductus excretorios habeat, longum tempus sententiae discrepaverunt. Vater, Santorini et Koschwitz dixerunt, se ductus excretorios invenisse eosque inprimis in superiori Isthmi parte conspici. Alii contra, ut Duvernoy et Morgagni negarunt, ductus excretorios adesse concedentes in periodo foetali eos forsitan affuisse post partum tamen se clausisse. Meckel dixit, ex arteria aspera aërem in glandulam thyreoideam intrare posse. Koelliker et plurimi recentioris temporis autores negant glandulam thyreoideam ductibus excretoriis instructam esse. In integro statu glandula innumeras humore repletas habet vesiculas magnitudine $^1/_{50}$ — $^1/_{20}$‴, quae singulae textu celluloso separantur. Quae vesiculae diversa utuntur structura, ita, ut de normali earum statu vix dici possit. Koelliker, qui multas observationes fecit, dicit eas similes esse vesiculis glandularum mucosarum easque constare ex membrana propria, epithelio et humore. Membrana ipsa tenuis est et viscida eiusque superficies interna continet simplices, multangulas cellulas, quibus nuclei insunt. Subflavus humor, qui ab illis cellulis circumdatur, alcohole sive acido nitrico coagulatur, unde multum albumen exoritur. In glandula thyreoidea multa sunt vasa sanguifera et lymphatica, dum nervi, qui e plexu cervicali sympathici oriuntur, in magna copia non adsunt.

Autores inter se ob nomen, quod morbosae glandulae thyreoideae auctae dari debeat, discrepant. Multa igitur sunt nomina, quae omnia idem significant, ut struma, thy-

reophyma, tracheocele, hernia gutturis, exechebronchus, botium et alia. Mihi placet, nomine strumae uti, quod usitatissimum est. Significat autem struma leniter progredientem glandulae thyreoideae amplificationem et ita quasi pro chronica inflammatione glandulae haberi potest.

Strumae nomine iam usus est Celsus, decus illud medicorum, quamquam strumam idem esse vult, quod scrophulos nominat et gibbum. Ex Celsi sententia struma tumor est, in quo nonnullae glandulares concretiones ichoris ac sanguinis existunt, quae multis ex causis ad tollendum perdifficiles sunt. Etiam Plinius maior, parens ille historiae naturalis, memoriae prodidit, sues potissimum anginae et strumae obnoxias esse. Inde apparet, veteres strumae nomen in alio sensu usurpasse, quam nos, quae res etiam, ut errores detineret, Petrum Frankium movit, ut illum glandulae thyreoideae morbum thyreophyma nominaverit. Quum vero diversissimi tumores, qui in collo reperiuntur, a multis autoribus ad strumae naturam repeterentur, duplex strumae genus, verum et spurium, constitutum est, quae tamen partitio ob hanc causam displicet, quod struma ipsius glandulae thyreoideae degeneratione quadam afficitur. Sunt etiam, qui strumam inflammatoriam locuti sint, qui morbus rectius thyreoadenitis sive angina thyreoidea appellatur, ut Waltherus, celeberrimus ille vir, in libro suo bene explicavit. Alii iterum, ut Baumes, tumorem in ipso parenchymate et in tela cellulosa distinxerunt, et ita duo genera strumae constituerunt, unum in glandula thyreoidea, alterum in tela cellulosa fixum. Solet autem nunc vulgo struma in tria genera dividi, quae sunt, struma vasculosa sive

aneurysmatica, lymphatica et scirrhosa sive melius degenerata.

Struma vasculosa sive aneurysmatica excellit prae ceteris strumae generibus extensione arteriarum, venarum vasorumque capillarium glandulae thyreoideae, quae maximam partem ipsius parenchymatis éfficiunt. Crescit haec struma multo celerius, quam duo reliqua genera. Tumor tactu solida, calida atque intenta est. Aegrotus sentit vehementem arteriarum pulsationem. Paene in tota superficie tumoris pulsus arteriarum conspici potest, neque integumentum ipsum cohibet, quin manus superposita exploratoris pulsum internarum arteriarum sentiat. Etiam arteria thyreoidea, priusquam in substantiam glandulae thyreoideae intrat, glandula nondum nimis adaucta, sentiri potest. Struma vasculosa multo eelerius, quam cetera strumae genera, perturbat valetudinem. Nam quum sanguis magna vehementia in caput congeratur, vertigo et haemorrhagiae narium, pressurâ autem glandulae morbosae andauctae molestiae respirationis ac deglutitionis efficiuntur. Anatomica exploratione strumae vasculosae nihil, nisi extensionem arteriarum et nonnumquam coagulatum sanguinem invenias.

Struma lymphatica sive cellularis, quae forma frequentissima et in regionibus quibusdam endemica est, locum suum habet in tela cellulosa. Cellulae, quae in hac struma multo dilatatae sunt, mox viscido ac perlucido liquore, mox subflava et mucosulenta substantia, mox caseosa massa, mox concretionibus et nodis osseis repletae sunt. Simul etiam parietes cellularum immutantur. Primum indurati usque ad duritiem cartilaginis, concrescunt cum iis, quae cellulis in-

sunt, unde fit, ut cellulae prorsus evanescant et glandula in deformem massam immutetur. Initio quo cellulae nimia glandulae thyreoideae secretione liquore abundant, tumor praebet digito sensum eundem, qui in sarcocele invenitur. Maximas autem hcc strumae genus praebet varietates. Interdum struma lymphatica prorsus aequa, ut sarcoma, et satis solida invenitur, interdum etiam in superficie singulis cartilaginosis vel osseis tuberculis affecta est. Saepius singulae cellulae amplificantur ita, ut maxima strumae pars ex una tantummodo sive pluribus composita sit cellulis, quarum parietes hic et illic induratae liquorem diverse tinctum circumcludunt. Quae forma, quam Celsus iam noverat, ab Albugasi „Bronchocele aquosa“ nominatur et ab Maunoir*) „Hydrocele colli“ accuratius describitur. Exoritur autem hic tumor in anteriore colli parte, in uno vel altero vel in utroque latere, et ex duobus lobulis constare et in medio sulcatus esse videtur. Superficies mollis est et ubique fluctu atio sentitur. Plerumque struma lymphatica impellucida est, interdum tamen tam pellucida, ut per integumentum, Cystidem et liquorem interna vasa sanguifera perspicere possimus. Ambitus mali haud raro ad tantam pervenit magnitudinem, ut aegrotus vix respirare possit. Cavea, quae in tumore exorta est, saepius bipertita esse videtur septo, quod uno loco perforatum est, unde fit, ut altera tumoris pars cum altera communicet.

De propria strumae lymphaticae sede sententiarum diversitas est. Nonnulli autores dicunt, eam nasci in glan-

---

*) Memoires sur les amputations. Genève 1825.

dula thyreoidea, alii, in textu celluloso, qui illum circumdaret. Quod si ita est, glandula ad tracheam repressa quasi atrophica et membrana spuria induta in posteriori et superiori cystidis parte posita est. Sin vero malum in glandula ipsa locum suum habet, rarissime reliquiae parenchymatis observantur. Sunt etiam, qui dixerint, glandulam thyreoideam in hoc malo plerumque sanam esse, quae sententia mihi falso dicta esse videtur. Minus perspicuae in hoc strumae genere sunt arteriarum pulsationes; innovationes vel expansiones vasorum non observantur. Etiam lentius haec struma crescit et saepe cretinorum, qui vocantur, proprium est.

Restat tertium strumae genus, struma scirrhosa sive melius degenerata. Omnes strumae formae, quae non ad eas, quas supra descripsimus, pertinent, quoniam tria tantummodo genera constituimus, huc referendae sunt. Quum autem non omnes strumae, quae restant, scirrhosam prae se ferant naturam, mihi rectius tertium genus nomen strumae degeneratae meretur. Inde elucet, quod multi autores strumam steatomatosam, sarcomatosam, fungosam locuti sint. At negari non potest, strumam degeneratam plerumque in carcinomatosam exire. Solet autem struma degenerata distingui ita, ut glandula thyreoidea dura, nodosa et iniqua appareat neque multo extendatur telaque cellulosa paulatim evanescat, Dolores, qui statim ab initio vehementes sunt, crescunt et similes fiunt iis, qui in carcimonate sentiuntur. Praeterea mox vis exercetur infausta in respirationem ac deglutitionem, quae extensioni glandulae degeneratae respon-

det. Sic denique ulcus exoritur carcinomatosum, quod saepissime tristem affert exitum.

Symptomatologia morbi.

In definitione singulorum strumae generum iam symptomata quaedam morbi attigimus; brevi memoravimus, morbosam amplificationem glandulae thyreoideae respirationi ac deglutitioni damnum afferre. Struma vero, quae mox citius mox lentius crescit, eo maiorem et infaustiorem vim in utramque functionem exercet, quo maior et durior est. Tumor autem eo duritiei et magnitudinis pervenire potest, ut pressurà in vicinas ipsius partes et concretione cum his periculum vitae facile adducere possit. Difiicilis respiratio aegroto dolores affert et quivis motus auget molestiam. Haud ita multo post venae superficiales extenduntur, et varicositates agunt, dum tumor ipse aut laxus in sternum propendens aut in lateribus partes proximas comprimens impedimentum fit respirationis. Ad ea magna pressura circulatio sanguinis damnum capit, unde fit, ut congestiones ad caput vertigo et haemorrhagiae narium existant. Praeter asphyxiam et apoplexiam, quae laryngis compressione nasci solent tumoris incremento ad oesophagum tantae deglutiendi molestiae afferri possunt, ut vita aegroto in periculo sit. Neque praetereundum est silentio, quanta pericula strumà virginibus afferantur. Si virgines struma afficiuntur, venustatem ac pulchritudinem, quae bona iis maxima sunt, amittunt. Neque suavitas vocis ab illo malo parcitur. Quae quum ita sint, virgines plane ius habent,

si illud malum detestantur. Saepenumero etiam internae dislocationes animadvertuntur; pharynx enim nonnumquam in alteram partem sursum levatur, unde fit, ut larynx deprimatur.

Aetiologia morbi.

Quamquam verum est, sententias a diversis scriptoribus optimas de origine causisque mali allatas esse, nemini tamen usque ad hodiernum diem contigit, veras strumae causas detegisse. Certo praeclara multa de hac re exstant; attamen res ita sese habet, ut id, quod ab uno contenditur ac probatur, ab altero experientia sua ac rationibus vix refutandis reiiciatur. Ac profecto, quamdiu physiologorum operà functiones glandulae thyreoideae non illustrabuntur origo strumae usquedum tenebris involuta manebit. Primum vero quod attinet ad strumam sporadicam, non dubium esse videtur, quin struma inprimis aneurysmatica cohaereat cum systemate sexuali femineo. Nam saepius cum anomaliis mensium tumores glandulae thyreoideae nascuntur puellaeque puberascentes quum pubertas accedat, saepenumero strumis afficiuntur, quae evanescunt, quum menstruatio incidit. Etiam in graviditate tumores in collo existunt, qui post partum discedunt, dum in mulieribus annis climactericis post mensium cessationem strumae oriuntur, quae remanent. Praeterea negari non potest, intentione organi respirationis ut cantatione, vehementi sternutatione, flatu in instrumentis musicis, deinde sublatione et gestatione gravium onerum eam exerceri vim in glandulam

thyreoideam, ut struma exoriatur. — Struma endemica, de cuius causis mihi nunc dicendum est, per longum tempus doctissimorum virorum animos tenuit, praesertim quum eadem cum cretinismo cohaereat, qui morbus, qualis sit, nondum satis intellectus est. Cretinismus autem, qui ab autoribus diverse declaratur, mihi esse videtur morbus cerebri et hinc atrophia causis endemicis provocata. Nam si centrum totius corporis damnum ceperit, etiam ceterae corporis partes non modo non excoluntur, sed ad minorem evolutionis gradum reducuntur. Quum vero in omnibus locis, quibus cretini, etiam strumae reperiantur, a multis scriptoribus sententia prolata est, cretinismum semper in uno eodemque homine cum struma coniunctum esse. Praecipue Foderè *) hanc sententiam defendit; sed experientia docere videtur, permultos cretinos sine struma nasci, id quod etiam Dr. Stahl confirmat, dicens se in regione Gerolzhofensi et Sulzhamensi strumam rarissime in cretinis conspexisse, quamquam illi struma endemica sit. Etiam Iphofen copiam affert exemplorum, in quibus struma cretinimismum excludit. Cretinismus hereditarius est, et adnatus fere semper invenitur, struma contra rarissime connata conspicitur. Sicuti experientià constat, strumam sporadicam non a natura insitam esse, ita etiam nihil aliud de struma endemica dici potest. Parentes struma affecti, qui ceterum sani sunt, liberos procreant struma non affectos; sin vero in regione habitant, ubi struma endemica est, plerumque etiam

*) Foderè über Kropf und Kretinismus, aus dem Französischen von Lüdemann.

liberi ea vexantur. Struma nonnumquam, si parentes ea affecti sunt, et pater infirmus, insanus et semicretinus est, iam in prima generatione hereditaria exsistit. Illa autem falsa opinio, strumam connatam reperiri, inde ex errore facta esse videtur, quod in neonatis, sicuti glandula thymus et hepar, ita quoque glandula thyreoidea paulo maior conspicitur, quam in adultis. Rambuteau de relatione inter Cresinismum et struma intercedente haec verba facit:

„Nähert man sich den Kretinenthälern, so zeigt sich der Kropf äusserst selten, darauf häufiger; weiter sieht man viele Kröpfige und einige Kretinen, endlieh werden die Kretinen häufiger und zwar, je mehr man sich von der Ebene entfernt und in die Gebirgsschluchten kommt. In sehr hochgelegenen Gegenden trifft man weder Kröpfige, noch Kretinen; Kropf und Kretinismus stehen also in inniger Verwandtschaft, sowohl in pathologischer als geographischer Beziehung.“

Invenitur autem struma endemice apud incolas vallium profundiorum, in montanis regionibus Helvetiae Valesiaeque, in terris, quae nominantur Tyrolis, Stiria, Carinthia, et in nonnullis hercyniae silvae regionibus. Nec vero tantummodo in Europa, sed paene in omnibus ceteris terrae partibus struma endemica invenitur. Sic in regionibus nonnullis novae Granadae, in America meridionali, in valle fluminis Rio Magdalenae, et in vallibus Tartariae chinesicae et in aliis regionibus struma endemica occurrit. Quae quum ita sint, accuratiori regionum exploratione consti-

tutum est, quae causae strumae endemicae supponendae sint.

Causae morbi autem in duas familias divisae sunt, in eas, quae in climate et conditione vel situ regionis in qua struma endemica reperitur, et in has, quae in vita et victu incolarum positae sunt. Contemplantibus nobis causas climaticas, atmosphaera nebulis ac vaporibus impleta, in qua aër stagnans praevaleat, deinde defectus lucis et solis caloris strumae favere videtur. Quod attinet ad topicas causas, fundum humidum et terram uliginosam praesertim fontem mali significare possumus. Maxime nobis occurrit struma in regionibus cum fluviis, qui montibus latius aut arctius inclusi non altis ripis utuntur, unde fit, ut aqua fluvii pluvia aut nive soluta multo adaucta facile super ripas superfluat. Qua re atmosphaera nebulosa fit incolaeque struma infestantur. Etiam aqua potoria, quae multum gypsi contineat, strumam evocare dicitur; sed multi autores huic opinioni opponunt exempla, multis locis, quibus eadem aqua bibatur, strumam endemicam non inveniri. Sunt porro, qui dicant, aquâ niveâ, si bibatur, strumam oriri, id quod ideo falso dictum esse videtur, quod in alpibus, ubi aqua nivea sola bibatur, struma rarissime conspicitur. Dr. Stahl in libro suo de Idiotismo endemico dicit, originem strumae endemicae in regione Gerolzhofensi et Sulzhemiensi partim ex fundo gypseo, partim ex nebulis foetentibus ducendam esse. Iphofen strumas derivat ab aqua, quae non multum acidum carbonicum continet dicens, oppidis Freibergi, Halsbrueckii et Pirnae aquam acido carbonico carere et strumas ibi multas adesse.

Barthon*) putat, miasma quod febres intermittentes ac remittentes, dysenteriam et eiusmodi morbos gignat, causam strumae habendam esse, quum illi morbi in regionibus quibusdam saepe coniuncti appareant. At tale miasma nobis ignotum est. Humbold**) primum sententiam protulit, inopiam electricitatis in aere causam esse strumae endemicae. Iphofen etiam, qui latius de hac re scripsit, causam strumae in defectu electricitatis in atmosphaera se invenisse putat. Ex incolis, qui regiones, ubi struma endemica reperitur, cognitas habent, se audisse contendit, rarissime ibi fulgura cum tonitru adesse. Conatur ad ea exponere, ex electricitatis defectu conditionem aeris nebulosam et non ex nimia humoris copia exoriri. Prevost Genèvensis ex eo ducit originem strumae, quod aqua, quae bibatur, careat Bromo et Jodo, quam sententiam in experientia sua positam esse contendit. Sed experientia ipsa reiicit hanc opinionem, quae docet, in multis aquis montanis Bromum et Jodum inveniri et tamen in illis regionibus strumam endemicam adesse.

Diagnosis.

Quamquam concedo, tria strumae genera, quae supra descripsi, inter se confundi posse, tamen in descriptione eorum satis declarasse mihi videor, quibus rebus inter sese

*) Benj. Schmidt Barthon. A memoir concerning the disease of Goitre etc.

**) Humbold. Ueber gereizte Muskel und Nervenfaser.

differant. Quae quum ita sint, si denuo hanc rem latius attingerem, repeterem tantummodo ea, quae iam supra dixi. Restat igitur, strumam ab aliis tumoribus qui in collo reperiuntur, distinguere. Tumores autem, qui forsitan cum struma commutari possent, sunt tumor cysticus et lipoma, aneurysma carotidis, varicositates venae iugularis internae et carcinoma glandulae thyreoideae. Aneurysma carotidis eo differt a tumore glandulae thyreoideae, quod plerumque in uno tantummodo latere locum suum habet, vehementer pulsat, et mox maius mox minus est; ad ea aneurysma, si digitis comprehenderis et paulo a collo removeris, pulsare pergit. Quod attinet ad varicositates venae iugularis internae, tumor huius generis mihi facile distingui posse videtur. Nam quum proprie tiuctus sit et naturam varicum prae se ferat, eius diagnosis nulla praebet impedimenta. Carcinoma glandulae thyreoideae eo discrepat, quod est in superficie sua irregularis, durissimus, eiusque dolor iam ab initio vehementissimus. Sursum se in collo extendit, respiratio ac deglutitio difficilius eveniunt, altera vero magis, altera minus, quae quidem res a glandulae morbosa parte dependet. Musculi sunt rigidi, arcte cum tumore concreti et in ultimo stadio integumenta corrugantur, quod nunquam in summa struma fieri solet. Is, qui hoc morbo afficitur, summis cruciatus doloribus vix potest respirare et res tantum fluidas deglutire. Materia sanguinea, si tumor rumpit, effluit, id, quod breve tempus aegrotum liberat a doloribus. At mox symptomata redeunt et sensim rumpentibus cellulis imminuuntur usque dum hoc amplius nil iuvat.

Prognosis.

Ex iis, quae de malo ipso diximus, prognosis qualis sit facile intelligitur. Plerumque enim fausta est; aegroti fere semper valent et importunitate deformitatis excepta per totam vitam nullas ferunt molestias. Minus fausta iam prognosis est puellis, quae a struma venustati ac pulchritudini timent. Attamen strumarum in organismum effectus non semper tam leves sunt, quia interdum nimia tumoris pressura et in respirationis et deglutitiònis organa suffocatio vel strangulatio vel denique mors ex ciborum inopia incidit. Saepius in magnis strumis et interna et externa medicamenta frustra adhibentur; et tunc tantum certae operationes exstant, quibus tumor plane removendus vel ita imminuendus est, ut molestiae ab aegroto melius ferri possint. Rarissime fit, ut struma ex vehementi concussione sive ex frigore sive ex aliis causis maiori vel minori inflammatione afflciatur (thyreophyma acutum P. Frankii *). Dolores vero et calor tum multo augentur, et interdum intentio et extensio tumoris celeriter crescit, arteriae colli vehementer pulsant, venae intumescunt et molestiae respirandi et deglutiendi et nonnumquam ingens febris exoriuntur. Qua inflammatione fieri potest, ut tumor in suppurationem abeat, qua re aegroti in magnum periculum veniunt, quoniam compressione tracheae et vasorum colli dyspnoea et soporosa capitis obscuratio

---

*) De curandis hominum morbis Epitome. Lib. VI. P. 2. p. 80 ff.

periculosissima est. Accedit, quod timendum est, ne larynx vel trachea exulceratione tumoris arrodiatur. Prognosin strumae sporadicae semper meliorem esse, quam endemicae, inde apparet, quod in illa interdum caussis amotis etiam tumor evanescit. Scirrhus denique, qui rarissimus est et fungus medullaris glandulae thyreoideae sane incertam, nisi malam prognosin admittunt. Plerumque aegrotus struma scirrhosa affectus mortem obit.

Therapia.

Semper mihi methodus illa curandi, qua morbi prohibentur, optima visa est. Etsi eventus eius non magni aestimantur, quia negativam, ut ita dicam, exercet vim, nihil tamen magis medicis cordi esse debet, quam haec ratio medendi. Eo magis autem ea probanda est, quod multi morbi sunt, qui, si quidem orti sunt, nullo modo sanari possunt. Quum struma autem, ut ex aetiologia scimus, laboribus nascatur gravioribus, evitetur adscensio in montes at gestatio gravium onerum; et ad ea cantatio, et quaeque respirationis intentio. Praeterea quum in difficili partu facile strumae existant, parturientes mentum pectori imprimiere necesse est. Etiam si pingues cibi damnum afferunt, edas alios, et si habitas in illis regionibus, ubi aqua acido carbonico caret, cerevisiam potius et vinum et alias potiones bibas. Ubi autem perniciosa vis pendet ab atmosphaera nebulosa, ab electricitatis inopia in aëre et a similibus rebus, incolae ad alias regiones se conferant aut infausta incrementa quoad fieri potest, removeant.

Quomodo vero struma ipsa curanda sit, pendet a natura tumoris, quia medicamenta, quae in uno strumae genere cum utilitate adhibentur, in altero nulla commoda afferunt. Struma vasculosa, quae nimio sanguinis impetu et abundantia in lucem prodit, initio statim venaesectionibus apte atque frequenter factis in decursu retinere atque adeo imminui potest. Opus est autem, ut aegrotus quiete se habeat, usque frigida cataplasmata faciat, simulque se abstineat ab omni labore. Chelius, qui hac ratione usus est, optimos eventus se habuisse enarrat. Haec ratio autem tunc tantummodo commodo est, quum tumor nondum nimis adauctus est; quum vero magnum ambitum consecutus est, nihil melius ad molestias aegroti leniendas fieri potest, quam arterias thyreoideas superiores subligare, qua re glandulae thyreoideae maxima pars sanguinis detrahitur. Quorum vasorum ligatura iam saepius cum felicissimo eventu facta est. Primum quidem eam suscepit W. Blizard, *) cuius operatione tumor multo decrevit, aegrotus autem in gangraena nosocomiali mortuus est. Deinde Waltherus, Coates, Wedemeyerus Chelius et alii hac operatione usi sunt cum eventu exoptato. Quomodo autem operatio sit instituenda, Chelio auctore brevi exponam.

Postquam aegrotus, qui in paullulo sublimi sella sedet, caput pectori alicuius, qui assistit, apposuit ita, ut in altero colli latere facile operari liceat, eo loco, quo pulsus arteriae thyreoideae superioris bene sentitur, cutis

---

*) Cooper, Dictionary of practical Surgery. 2. Edit. London 1813.

pariter intenta inciditur. Sanguine plane amoto digitum indicem in vulnus inducas et diligenter situm arteriae explores. Postea si textum cellulosum, qui illam circumdat, cum cultro dissecaveris, arteriam bene deprehensam subliges. Simplex ita apparet operatio neque periculosa, si cum aliis, quas nunc fere omnes autores deseruerunt, comparas, ut cum exstirpatione glandulae thyreoideae et cum setaceo ponendo. Ac primum quidem illa operandi methodus ceteris praeferenda est propter bonum eventum, deinde propter levitatem, qua effici potest. Neque vero omittam commemorare, maximam diligentiam in operando semper exhibendam esse, quia hac neglecta bonus eventus exspectari non potest.

Exstirpationem glandulae thyreoideae contra, quoties facta est, lamentabiles exitus fere semper secuti sunt, et recte permulti viri exstiterunt, qui dixerint, eam ex aciurgia prorsus reiiciendam esse. Primum enim glandula thyreoidea nimiam vasorum sanguiferorum copiam continet, ac deinde operatio tam longinqua est, ut aeger etiamsi robusto corpore ne doloribus succumbat timendum sit. Accedit multitudo nervorum, quae in illa regione colli tanta est, ut eorum vulneratio organismo teterrimos casus afferre possit.

Curatio strumae lymphaticae efficitur medicaminibus et internis et externis. Sunt vero quaedam medicamina, quae mirabilem in eam exercent vim. Priusquam iodina cognita erat, omnia in hanc strumam adhibita remedia alcalina putabantur, ut spongia marina usta, lapides spongiarum, pilae marinae, natrum, kali, borax, baryta muriatica, kali

sulphuratum, mercurialia, magnesia sulphurica, sapo, China, radyx pyrethri et complura alia. Inter haec remedia autem usque ad hodiernum diem spongia marina excelluit, eamque ibi utilitatem afferre, ubi reliqua remedia nullo commodo sunt, probatum est. Ex analysi spongiae marinae iam ante longum tempus a Tromsdorf facta intelligimus, eam e natro muriatico, calce muriatica, calce pura, calce phosphorica, oleo empyreumatico et ammonio compositam esse. Hinc apparet, resolventes et excitantes substantias in illa adesse. Sed cum mercurialia et sapo item excitent, et etiam cum remediis volatilibus coniungi possint, et tamen non idem efficiant, quam spongia marina, mixtio illa aliquid proprium continere videbatur.

Quod quidem pertinet ad spongiae marinae quantitatem, qua adhibetur, eadem ratio est inter ipsam, quae fere inter omnia alia remedia. Interdum parva quantitas sufficit, ad multum efficiendum, interdum maior postulatur ad eundem finem assequendum. Nonnulla tantummodo scrupula quotidie praecepta sunt, sed nonnullae draehmae et ultra praecipi possunt. Remedium solet dari cum oleo sacchari cinnamomi crescenti dosi. Ad ea in forma decocti praecipi potest, cui, si ventriculus ferre nequit, res amarae et aromaticae admiscentur. Postquam Coindet,*) medicus Genèvae sagacissimus, expertus est iodinam in hac spongia marina inesse, statim in opinionem incidit, hanc substan-

*) Coindet, Découverte d'un nouveau remède contre le goitre; in bibliotheque universelle Juill. 1820.

tiam in medicamento efficientem esse posse; et experimenta per complures annos fecit cum eventu felicissimo. Postquam doctissimi viri deinde, ut Formey, Graefe et alii odinae utilitatem laudaverunt et eius usum commendaverunt, mox omnes hoc medicamentum adhibuerunt. Optima autem forma, qua Iodina praecipienda est, solutio a Lugole proposita intelligitur. Is, qui Iodum praecipit, semper caveat ne incaute praecipiat. Quod enim quum non multi patiantur, fit, ut post Iodum persaepe gravissima symptomata appareant quorum violentia nonnunquam diligentissimam medicorum curam postulat. Accedit, quod hoc remedium in feminis, quamdiu menstruatio durat, semper intermittendum est, ne congestiones in organa uterina etiam magis augeantur. Restant alia medicamenta, quae contra strumam commendata sunt, ut terra ponderosa salita, sal sodae, sal tartari, acetum oxysquilliticum, Kermes minerale, digitalis, belladonna, et alia, quae partim sola, partim cum spongia marina coniuncta aegroto dantur. Sic Graefe laudat hoc remedium:

Recpt.:

Tart. tartarisat.
Spong. tost.
Sacch. alb. aa Drachmam dimidiam.
Sal. ammoniac.
Rad. imperator.
Cinnam. acut. aa drachmas duas.
Sulphur. antimon. aurat. scrupulum unum.

Piper. long. drachmam unam.
M. f. pulv. subtilissim. D.

Cuius mixtionis bis drachmam aegrotum deglutire in diem praecipit.

Ex ingenti medicamertorum externorum multitudine, quae aut per se ipsa aut simul cum internis commendantur, efficacissima et usitatissima haec sunt: Linimentum volatile camphoratum, spiritus ammonii muriatici causticus, spiritus saponatus, unguentum digitalis purpureae, unguentum mercuriale, tinctura Cantharidum, oleum petrae, emplastrum de Cicuta cum Ammoniaco et alia. Etiam multo proficitur, si struma saepius cum vestibus lanatis teritur. Quam ob rem aegri circa collum fascias lanatas crassas interdum vaporibus aromaticis impletas gestant. Maximam utilitatem praebet ung. Kali hydroiodici, quod ita praeparatur, ut ad ʒj — jß Kali hydroiod. axungiae povcinae ℥j — jß admisceatur, ex quo unguento bis parva quantitas circiter magnitudine fabae tumori imperatur. Quae inunctio plerumque per quatuor vel sex hebdomades pergenda est, et haud raro necessarium esse videtur, ad usum externum et internum Iodinae transire. —

Praeterea ad strumam lymphaticam curandam multi setaceum ponendum esse dicunt. Sed qualia huius operationis commoda sint, nescio. Id tamen certo dicere possum, permultos casus exstare, in quibus lamentabilis exulceratio aegroto mortem adduxit.

Cauterisatto et incisio strumae vix dignae sunt quae commemorem.

Curatio strumae degeneratae denique prorsus palliativa ac symptomatica est, et hoc tantummodo medici esse potest, vehementes aegroti dolores imminuere, vires corporis apte adiuvare et adaucter fractum animum erigere.

VITA.

Natus sum, Adamus Mueller Duenae, die I. mensis Aprilis anni h. s. XXXV. a patre Laurentio, et a matre Elisabeth, e gente Suessmann, quos morte mihi ereptos valde lugeo et semper lugebo. Fidei addictus sum catholicae.

Primis litterarum elementis domi instructus gymnasium Hieropolitanum, deinde Muehlhusanum, deinde Nordhusanum frequentavi, unde testimonio maturitatis instructus petii hanc almam litterarum universitatem Fridericianam die IV. mensis Maii anni MDCCCLVII., et ab Ill. Bruns, tunc temporis Rectore Magnifico, civium academicorum numero adscriptus, apud Ill. Goeschen spectatissimum gratiosi ordinis decanum, studiosus iuris inscriptus sum. Sed post duo semestria, nebulosa huius studii spe motus, a iure me converti ad medicinam, et apud Ill. Volkmann, gratiosi medicorum ordinis spectatissimum decanum, nomen professus sum. Per annum in

universitate Philippina et Herbipolensi studiis imbui. — Per quinquennium hisce interfui scholis: Doctiss. Allihn de logice; Ill. Pernice de imperii et iuris Germani historia; Ill. Goeschen de iure matrimoniali, de encyclopaedia et methodologia iuris universi; Ill. Witte de praeceptis iuris Romani, de iure pignorum et hypothecarum; Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Giebel de zoologia; Ill. Schultze de osteologia et syndesmologia; Ill. Knoblauch de physice; Doctiss. Reil de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Fick de anatomia corporis humani; Ill. Hoffmann de psychologia; Doctiss. Schwarzenbach de chemia; Ill. de Marcus de arte psychiatrica; Ill. Bamberger de pathologia et therapia speciali; Ill. Volkmann de arte cadavera rite eissecandi, de physiologia, de sanguine eiusque motu; Ill. Girard de mineralogia; Ill. Blasius de chirurgia generali et speciali, de fracturis et luxationibus, de speciali vulnerum chirurgia, de aciurgia, de fasciis rite applicandis, de operationibus ophthialmiatricis; Doctiss. Mann de pathologia et therapia generali, de auscultatione et percussione; Ill. Krahmer de pharmakologia; Ill. Hohl de arte obstetricia; Ill. Vogel de diagnostice morborum localium, de morbis senectutis.

Scholis clinicis interfui apud Ill. Blasius chirurgico-opthalmiatricis apud Ill. Vogel et Ill. Weber

medicis, apud Ill. Hohl et Doctiss. Olshausen obstetriciis.

Quibus viris omnibus, de me egregie meritis, summas habeo semerque habebo gratias.

Iam tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis, fore spero, ut hac dissertatione cum adiectis thesibus publice defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

I.

Functio glandulae thyreoideae ignota est.

II.

Chirurgus minus fallere et falli potest, quam medicus.

III.

Exploratio urinae nunquam omittenda est.

IV.

Exstirpatio glandulae thyreoideae ex aciurgia climinanda est.

V.

Oculus recte speculum morum habetur.